

HUNTINGDON-SHIRE.



Antabrigienses à dorso contingit ager Huntingdonensis, Saxonice *hunte dunes cýpe* vulgo *Huntingdonshire*, eo situ locatus, ut ab Austro Bedfordienses, ab Occasu Northantonenses, ut etiam à Septentrione, qua *Avona* fl. dirimitur, & ab Ortu Cantabrigienses spectet. Regio sementi satis apta, pascendo pecori, ad Ortum qua palustris est, uberrima, alibi collium apricitate, & arborum opacitate amœna, totam enim sylvis olim obsitam fuisse prædicant incolæ, & *Forestam* fuisse constat, donec Rex Henricus Secundus primis regni sui temporibus *deforesta* verit universam, ut habetur in perambulatione veteri, præter *VVaybridge*, *Sapple* & *Herthei*, qui fuerat bosci *Dominici*, & remanent *Foresta*.

Meridionalem partem *Vsa* fl. quem sæpe dixi, alluit, & floribus vestit. Ad quem inter alia obscurioris famæ tria adsident notissima oppida, ubi relictis Bedfordiensibus, hunc agrum subintravit. Primum invisit *Sancti Neoti fanum*, vulgo *S. Needs*. *Needes*, à Neoto viro cum docto, tum sancto, qui in propaganda Christi religione omne vitæ studium consumpsit, cujus corpus à *Neotstock* in Cornwallia huc translatum erat, & in ejus honorem Alfricus Elfridi Comitum Palatium in monasterium convertit. Quod latifundiis plurimis Roisia uxor Richardi Domini de *Clare* statim à Normannorum adventu locupletavit. Antea vero hic locus ab Ainulpho viro etiam sancto *Ainulphsbury* dicebatur, quod nomen in ejus parte etiam adhuc superest. Sub hoc ad *Haltveston* viculum admodum tenuem duo sunt fonticuli, alter dulcis, alter quodammodo salsus; hunc contra scabiem, & lepram, illum contra oculorum hebetudinem valere perhibent vicini. Inde haud procul salutat *Vsa Bugden* elegantes Episcoporum *Lincolniensium* ædes, & per *Hinchingbroke* quondam velatis virginibus sacrum, quas ab *Eltesley* in Comitatu Cantabrigiensi huc transtulit Rex Guilielmus *Conquestor*, & nunc Equestris familia *Cromwellorum* sedem, *Huntingdoniam* accedit, Saxonice *Huntantun* Mariane, in sigillo publico *Hunterdune* id est *Mons venatorum*, ut interpretatur Henricus hujus Archidiaconus, qui ante annos cccc floruit, unde venatorem in insignibus gestat, & novum vocabulum *Venantodunum* Lelandus noster Latina incude nobis excudit. Præcipuum hoc est totius Comitatus oppidum, cui & nomen contulit, *tam situs fulgore*, ut inquit ille Archidiaconus, *quam sui decore, tam paludum vicinitate, quam ferarum & piscium fertilitate vicinis oppidis longe præeminens*. Edwardi Confessoris temporibus, ut ex Angliæ lustro hoc adnotem, fuerunt in hoc Burgo quatuor *Ferlingi*, in duobus fuerunt cxxi *Burgenfes* consuetudinem, & geldum reddentes, & sub iis c Bordarii: in aliis duobus *Ferlingis* cxi *Burgenfes* ad omnes consuetudines, & geldum Regis. Ad Septentrionalem *Vsa* ripam editiori situ sedet longius in Aquilonem productum, quatuor templis exornatum, monasteriolumque ha-

buit à Matilde Augusta, & Eustatio *Lovetost* fundatum, cujus parietinas sub oppidum ad Ortum vidimus. Ad flumen prope pontem qui è saxo vivo speciosus est, moles & area castri cernitur, quod anno reparatae Salutis Dccccxvii Edwardus Senior instauravit, David Scotus, cui, ut antiquus habet historicus, *Stephanus Rex Burgum Huntingdon in augmentum dederat*, multis operibus adauxit, Henricusque Secundus demum, tum quod perfugium seditiosis fuisset, tum quod lites de eo sæpius feruissent Scoti, & *S. Lizii*, solo ad lites præcidendas adæquavit, cum importuna illorum contentione irritatus jurasset, quod nec illi de *S. Lizoo*, nec Scoti amplius de illo concertarent. Ex his castri molibus longe patente prospectu, oculis subjicitur pratum (*Portsholme* vocant) *Vsa* flumine circumfusus, amplissimum quidem, & omnium quæ Sol vidit floridissimum, de quo verno tempore vere illud usurpari potest,

Ver pingit vario gemmantia prata colore.

Ea picturata amœnitate oculis blandissime aridet. Citeriori ripa è regione *Huntingdoniæ* stat ejus quasi mater, unde enata fuit, *Goodmanchester* hodie dicta pro *Gormonchester*. Vicus maximus, & agricultura celebratissimus, campo patenti, soluto, & ad Solem reclinatus. Nec est aliud in Angliâ oppidum quod plures habeat strenuos colonos, & plura exerceat aratra. Reges enim Angliæ hac itinerantes olim centum octoginta aratris rustica quadam pompa eductis, se excepisse gloriantur. Certe inter nostrates, vitam rusticam (quam sapientiæ consanguineam vocat Columella) studiosissime colunt, sive rei prudentiam, sive impendendi facultatem, agendique voluntatem respicias: *Villam* suo tempore, non inamabilem, vocat Henricus ille *Huntingdonensis*, olimque nobilem fuisse urbem, vere scribit. Nam ut Romanorum numismata sæpe eruta, & itinerariam distantiam taceam; hanc urbem fuisse illam quæ apud Antoninum *DVROLI-PONTE* perperam pro *DVROSIPONTE* dicitur, ipsa nominis significatio probet; *Durosponte* enim (ignosce quod unam literulam immutarim) idem sonat Britannis quod *Pons ad flumen Ose*. *Vse* vero *Ise*, *Ose*, & *Ouse*, hoc flumen promiscue nominari in confesso est omnibus. Sed antiquato sub Saxonibus nomine vetusto, à Gormone Dano, cui has provincias cum pax convenisset, *Alfredus* noster concessit, *Gormonchester* vocari cœpit, attestante vetere versiculo:

Gormonis à castri nomine, nomen habet.

Hic ille est de quo I. Picus scriptor antiquus, sic scribit, *Alfredus Rex sic Danos contudit, ut dabant ad libitum obsides, quod terra exirent, vel Christianitatem reciperent. Quod & factum est: nam Rex eorum Guthrum (quem Gormondum vocant) cum triginta proceribus, & omni pene populo baptizatus, in filium ab Alfredo susceptus, imposto sibi nomine Athelstano. Hic igitur mansit, dataque sunt sibi provinciæ Orientalium Anglorum, & Northanhumbrorum; ut eas sub fidelitate regis foret hereditario quas pervaserat latrocinio. Nec prætereundum*

Ainsbury.
Fontes salutare.

Budgen.

Huntingdon.

Gormonchester.

Durosponte.